# PIUS QUARTUS
## *AN. III. AN. CH. 1563*

**Facultates Cardinalium Reipublicae Christianae generalium Inquisitorum in Urbe procedendi etiam contra Praelatos haereticos, vel haereticorum fautores.**

## PIUS EPISCOPUS

### Servus Servorum Dei
### Ad perpetuam rei memoriam

*Romanus Pontifex,* Christi Vicarius, ac Beati Petri successor, cui ipse Christus Dominus noster oves suas pascendas enixe ter commendavit, ne oves deperditae de ejus manu quandoque requirantur, omni studio, & solertia continue invigilare debet, ut a S.R.E. [Sanctae Romanae Ecclesiae] quae ceterarum caput est, & magistra, deviantes, ac aberrantes ad gregem Dominicum totis viribus reducat, & quas Dei timore proposito, & salutaribus monitionibus ad illam allicere nequiverit, temporalium saltem poenarum metu coerceat.

# * 1 * Cumque Nos propterea postquam ad summi Apostolatus apicem, licet immeriti, divina favente clementia assumpti fuimus, statim mentis nostrae aciem eo direximus, ut haereticae pravitatis undique extirpatis erroribus, fides Catholica ubique augmentum suscipiat, & diffusius protendatur, nihilque, quod huic rei profuturum cognovimus, praetermiserimus. Et nihilominus sicut nuper non sine gravi cordis dolore, & animi amaritudine accepimus, nonnulli Praelati, & in dignitate Ecclesiastica, ac Episcopali ordine constituti, ad quos veluti in partem solicitudinis nostrae vocatos, magis spectaret ceteros,

praesertim eorum curae creditos ab erroribus revocare, & in eisdem erroribus pertinaciter persistentes insequi, nedum in similes errores haereticos graviter prolapsi fuere, sed etiam ceterorum haereticorum fautores, receptatores, & auxiliatores existunt, & eandem fidem Catholicam, cujus defensores esse deberent, in dies oppugnare non verentur.

# * 2 * Volentes huic igitur tam pernicioso morbo, prout nostro incumbit officio, occurrere, ac ne ulterius progrediatur, quantum in Nobis est, procedere, Motu proprio per Apostolica scripta Venerabilibus fratribus nostris, & dilectis filiis nostris Inquisitoribus contra haereticam pravitatem generalibus in alma Urbe nostra pro tempore residentibus, quibus ut contra quoscumque etiam Episcopali, ac quacumque alia etiam Cardinalatus praeditos dignitate procedere possint, per alias nostras indulsimus, tenore praesentium, committimus, & mandamus, ut omnes, & singulos haereticos, & haereticorum fautores, receptatores, & auxiliatores praedictos, de hujusmodi criminibus diffamatos, in Provinciis, & locis, in quibus Lutherana secta invaluit, commorantes, ad quos ob ipsorum haereticorum frequentiam notorium est, tutum, seu saltem liberum non patere accessum, etiamsi Episcopali, Archiepiscopali, Patriarchali, & alia quacumque etiam Cardinalatus dignitate praefulgeant, nullis aliis desuper habitis super non tuto, vel non libero accessu, hujusmodi informationibus (receptis tamen summarie, & extrajudicialiter, quantum ipsi Inquisitoribus sufficere videbitur, prius indiciis) etiam per edictum in valvis Palatii officii sanctae Inquisitionis, & Basilicae Principis Apostolorum de Urbe, ac in Cancellaria nostra Apostolica, & acie Campi Florae tantum per unum ex nostris Cursoribus, vel etiam in locis finitimis terrarum in Italia consistentium, Nobis & eidem Sanctae Romanae Ecclesiae immediate subjectis, prout ipsis Inquisitoribus

visum fuerit, affigendum, & publicandum, citent, moneant, & requirant, ut intra certum, & competentem terminum eis ipsorum Inquisitorum arbitrio praefigendum, sub excommunicationis latae sententiae, suspensionis a divinis, & privationis etiam a Cathedralibus Ecclesiis, & quibuscumque dignitatibus, & beneficiis Ecclesiasticis, ac officiis, & ordinibus quae obtinent, & in quibus constituti existunt, & inhabilitatis ad illa, & alia quaecumque in posterum obtinenda, necnon confessionis criminum haeresis eis objectorum, aliisque tam Ecclesiasticis, quam temporalibus, etiam pecuniariis, & bonorum confiscationis, ac corporalibus, & etiam relapsu, & aliis per ipsos Inquisitores imponendis poenis, coram ipsis personaliter, & non per procuratorem, defensorem, vel excusatorem aliquem compareant, & se a criminibus praedictis expurgent, & si in termino praedicto non comparuerint, & se a dictis criminibus legitime non expurgaverint, ad observationem terminorum ad docendum, se dictis literis citatoriis, & monitorialibus paruisse pro sententia declaratoria, incursu censurarum, & poenarum in eisdem literis contentarum ferenda servari solitorum, ac etiam in causa ipsa criminis haeresis inquirendo ad receptionem probationum pro definitiva super crimine etiam contra absentes, sic ut praefertur, monitos ferenda sententia, usque ad ipsius sententiae ferendae calculum procedant, ac demum processum omnem Nobis, ut ad sententiae, quae justa visa fuerit, prolationem devenire possimus, in Consistorio nostro secreto referant. Nos enim citationem, & monitionem per publicum edictum, ut praefertur, decernendas, & exequendas praedictas, dictos sic citatos, & monitos perinde arctare, ac si personaliter citati forent, illasque ac processus desuper habendos sententiasque inde ferendos validos, & validas fore.

# * 3 * Sicque per quoscumque Judices, & Commissarios, etiam causarum Palatii Apostolici

Auditores in quavis instantia, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter interpretandi, & definiendi facultate, & auctoritate iudicari, & definiri debere, irritum quoque, & inane quidquid secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contlgerit attentari, decernimus.

# * 4 * Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac Palatii nostri stylo, etiam certam aliam forman, quoad citationes per edictum decernendas, & exequendas, inducentibus, quibus illorum omnium tenores praesentibus pro sufficienter expressis habentes, hac vice dumtaxat, illis alias in suo robore permansuris, speciallter, & expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque. Nulli ergo &c.

Datum Romae apud S. Petrum, anno Incarnationis Dominicae 1563. septimo Idus Aprllis, Pont. nostri Anno Quarto.

**+ EGO PIUS CATHOLICAE ECCLESIAE EPISCOPUS--- PIUS QUARTUS**